

longius progressa, etiam evanescat. Quæ vero in superficie mansit, similiter dimidia facta, quarto gradu, languidior iis est, duabus, quæ in opacum incidunt et resiliunt. Utraque enim cum in se sit integra, quadruplices simul sunt, ad dimidiam illam, quæ in semidiaphani superficie remansit. Quod si aquæ fundum prope sit, radius subiens, ab eo repercussus quasi a speculo lamina subtensa, cum superiore parte veluti unitus et fortior quam prius factus, tamquam a speculo et resilit, et relucet. Ex qua duplicationis ratione facile est colligere, radios in se resilientes in perpendiculum, efficacissimos tum fulgore, tum calore esse. Proxime, qui acutiores angulos formant, quoniam unitiores sunt. Tertio qui minus acutos. Quarto qui minus obtusos. Quinto qui obtusiores. Sexto tandem qui obtusissimos, quos ita debilitari aspiciamus ut invalidissimi reddantur. Et quo magis ab incidentiæ loco abeunt, tanto sentiuntur, et relucere minus, et minus calere: ac tandem qui post hos sunt, in umbrationem et refrigerationem desinunt. Sed dum existunt, quanticumque sint, aut relucendo, aut abeundo fiant, agere tamen suo ingenio, se se amplificando non desistunt donec tandem pereant. Addamus et hoc. Radios a quacumque re, quocumque versus resilire. A luce, a lucidis, a se ipsis, a diaphanis, a semidiaphanis, et ab opacis; sive ea subeant, sive in superficie maneant, robustiores, ratione duplici esse. Contraria duplici minus robustos: unione scilicet et copia: et contrariis sparsione et inopia. Uniti quidem sunt, a luce proximi, uniuntur autem in causis, et in se refracti, et in transpicuis crystallis, et vitreis aqua plenis vasis. Qua unione varia, copia iis accedit maior, et ideo valentiores, et penetrantiores fiunt. Quando vero ab aqua placida, a speculis, a tersis resiliunt, veluti a luce altera, in politia illa existente, multiplicantur cognatorum accessione. Quod minime fit, si a scabris, et non nitidis re-silient. An vero fuerit verius dicere, radios, a re harum nulla, sed a seipsis tantum resilire? Nam sicut a lucidi luce priam, promicant ipsi lux secunda in diaphana, et in opaca; et ab ipsis lumen, tertia lux promanat, et a lumine lux quarta splendor: ita in loco, ut vocant incidentiæ et refractionis, si alio reluceant, a seipsis relucent, ab obiectis illis diaphanis, semidiaphanis, opacisque vel scabris, vel politis, adiuti tantum, ut magis, minusve vel frangantur, vel resilient. Ut autem reluceant, non ab obiectis, sed a seipsis ac propriis viribus habent, propria sibi luce secum semper circumlata. Atque ita fieri, ut hæc fractorum radiorum relucencia, propria eorum sit, et non nova lucis relucencia. Hisce expositis, quot forte ante nos nemo umquam docuit, radiorum naturam atque essentiam, ex viribus, ex actionibus passionibusque propriis in summam resumamus. Radios omnes, ut et solares, quoniam et longi, et lati, et corpus sunt, necesse est corpora esse. Necesse quoque est eos corpora esse, quoniam colores ferunt iisque inficiuntur, et calorem se cum vehunt, et flectuntur, et franguntur, et resiliunt. Nam hæc omnia, corporum sunt conditiones. E contra, momento eos promicare, momento in immensum porrigi; momento se ipsi hemispherium implere totum. Momento tot maxima corpora, ætherea, aerea, aquea, liquida, solida, mollia, dura, raraque densaque et subire, et penetrare, et permeare, eos rem corpoream non esse, est manifestum. Alia ex parte, nullo eos egere, vel hæere subiecto, ut existant, et consistent, se se accidens non esse, palam faciunt ipsi. Cumque nulli materiæ coniungantur, nullique innitantur, ut esse queant, eos, ex eo genere formarum non esse, quæ ut sint, materia egent sustentante, liquido patet. Si forma sunt, quæ materia non indiget, non sunt ex materia et forma compositi. Ergo forma erunt sola, per se stans, per se existens, se se sustinens; et substantia, elementalibus longe præstantior. Rursus, quoniam, et a luce oriuntur, et a luce pendent, luci hærent, luce egent ut sint, formæ et substantiæ sunt, minus præstantes quam divinæ. Quæ a corporeo nullo, vel ortum habent, vel salutem. Mediæ ergo formæ radii sunt inter naturales et divinas. Et cum formæ sint etiam corpora sunt. Sed corpora elementalibus diviniora, et talia, quale corpus fere est spacium, per quod primo effusi, et diffusi sunt. Trine quidem dimensi, sed antitypia, et antetesi et obsistentia nulla præditi. Neque enim ipsi ullo opaco corpori resistunt: neque eis diaphana corpora ulla obsistunt. Omnia hæc ipsi penetrant, et permeant, et ab his omnibus, ipsi quoque et penetrantur, et permeantur. Neque tamen hæc mutua corporum penetratio,